ΓΑΜΗΛΙΟΝ ΑΩΡΟΝ.

SIVE

EPITHALAMIUM

Augustissimorum, Serenissimorum, & Potentissimorum,

CAROLI II,

ET

CATHARINÆ,

Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ*, &c. Regum.

Cum *VOTO*

Pro Incolumitate *Regum* & *Regni*.

Authore

JACOBO KENNEDO juniore,

Scoto-*Aberdonensi*.

EDINBURGI,

Ex officinâ Societatis *Stationariorum*,

Anno Dom. 1662.

AD AUTHOREM.

DUm, *Jovæ* omnipotens nuper quæ dextra patrăvit,
Et Cœlum & Tellus Oceanuſque ſtupent;
Gaudia dum cumulat (tantum non plena) *Britannis*
Luſiadûm extremo munus abuſque mari;
Eximium quicquid ſperari poſſit, ab *Indo*
Littore ad *Heſperii* lata fluenta *Tagi*,
Uno complexum Thaſſo: quis carmine digno
Æquabit tantæ pondera lætitiæ?
Ergo mirabunda ſedet *Pimpleïa* turba,
Vulgatis metuens plectra ciere modis.
Kennede, Phœbæo cum tu ſtimulatus ab œſtro,
Ad reſides revocas numina docta lyras.
Quid tibi non plenâ fas eſt ſperare ſenectâ,
Cui tanta ætatis ver puerile dedit?

T. CRAFORDIUS.
In inclyta *Edinburgenſi*
Academia *Math. Prof.*

AD

Sacratissimam *MAJESTATEM*

CAROLI II.

Magnæ *Britanniæ*, &c. Monarchæ,

EPIGRAMMA.

Inclyta Grampigenûm soboles Mavortia Regum
CAROLE, Purpureïs undique Major avis
Cui veneranda manus, rutilis decorata pyropis
Sceptra (patrum meritò jure) Britannia, tenet;
Accipe (sed facilis) nostræ leviora juventæ
Dona: canunt tædas (quantulacunque) tuas.
Hîc celebrat, roseïs radiantia tempora sertis
Vinctus, Hymen thalami fœdera sacra tui:
Omniaque exornant hìc pompam Numina: spondet
Hìc tibi Fatidicus gaudia multa Deus.
Fervor agit Nobis tenuis præcordia: sacris
Plena dedit nondum pocula Phœbus aquis:
Splendida nec cultis hæc fulgent vilia gemmis
Munera; nec Vatis nobile cernis opus.
Nostra serenato quòd si dignabere vultu
Dona (Caledonii gloria magna soli)
Me Clarius Vatem dicet, feriamque rotundi
Sidera, sublimi vertice, clara poli.

S. T. H. S.

JACOBUS KENNEDUS.

ΓΑΜΗΛΙΟΝ ΑΩΡΟΝ.

Epithalamium
CAROLI II.
ET
CATHARINÆ
Magnæ *Britanniæ*, &c. Regum.

AOniæ quid fila lyræ, jam Conſona, pulſat
Delius, & roſcïa effundit Carmina labris?
Caſtalidum quid ſacra movet modulamine cantus
Blandidulo toties repetitos lingua ſororum?
Namque (quis ignorat?) Caput abdidit, Ora repreſſit
Nuper in abſtruſis Dux Vatum lauriger antris:
Conticuitque cohors Divini Heliconia Phœbi.
Sollicitare lyræ nunc geſtit fila Canoræ
Cynthius, & tremulis concordant carmina nervis:
Aonideſque animos vocesque ad ſidera tollunt,
Undique mellifluo teſtatæ gaudia cantu.
Muſa mihi cauſas memora, quì tanta triumphos
Gaudia deſuetos ipſa inter Numina ducunt?
Aurea Falcigeri redierunt ſecula Divi,
Grata piis (poſt ſæva nimis proh fata!) Britannis.
CAROLUS en, ſoboles Boreæ Mavortia, nimbos
Nunc ſceleris concuſſit ovans; Vultuque maligna
Territa conſpecto dant terga hinc monſtra ſereno.
Jamque diem exornat radiorum fulgure Titan,
Quo ſacra conjugii coëunt in ſœdera Reges
Magnifici, teneræ vernantes flore juventæ.
O præclara dies, alboque notanda lapillo!

Ordine

Ordine quæ Superos longo deſcendere cernis,
Poſthabitoque polo, cœleſtia dona parare,
Hujus ut accreſcant (paſſim felicis) honores
Fœderis, & pleno celebrentur gaudia plauſu:
Dumque vices variè peragit veneranda Deorum
Tota cohors; ſacraſque faces accendit Amoris
Lætus Hymen: Citharæ pulſans en plectra canoræ
Fatidicus Deus, hæc radianti fundit ab ore;
Magnanimi Reges, O terque quaterque beati!
Fœdere felices ſtabili conjungite dextras,
Fœdere manſuro fulgent dum ſidera Cœlo.
Vinctus IO hîc Hymenæus adeſt en tempora ſertis,
Munera thuriferis manibus Regalia geſtans:
Ponè Deum magna pariter comitante caterva.
Tu tandem, dilecte Diis Mavortis Alumne
CAROLE, avos Reges non ementite Britannos,
In Sponſam placido defigas lumina vultu,
Aureaque æternûm cernes cumulata Dearum
Dona; Decor vultûs, qualis Tritonidos, ornat:
Sydereoque micat, quali Germana Tonantis,
Lumine; Pennigeras vel cum pharetrata ſagittas
Delia ponit ovans, defeſſaque cæde ferarum,
Scandit ad æthereas, formâ ſpectabilis, Arces:
Rex generoſe, tuæ non eminet ecce nitore
Splendida diſſimili ſublimis Gloria Sponſæ.
Prætereaque animi fulgentem Nobilis alto
Munere perſpicias omni. Quæratur & ingens
Inſignis ſeries Generis; tibi, Maxime Regum,
Hîc ſoli cedit. Magnâ ſi dote moveris,
Imperio parere tuo eſt accincta potenti
India clara, Arabum gazis opulentior ipſis:
Montibus innumeris auro argentoque gravatis,
Atque metalliferis longè celeberrima venis;
Gemmiferiſque ferax ſcopulis. Sic dona Puellam
Magna Deûm hanc intra Divam cernantur & extra.
Singula ſi ſpectes, mortalia cuncta negabis
Hæc eſſe, ac animo, pleno agmine, gaudia fundes.
Atque tui vultûs tam Majeſtate verendi,
Innumeræque animi dotes, quas divite dextra

Alma

Alma parens Natura tibi conceſſit, & armis
Inclyta jamdudum virtus, patienſque pericli,
Virginis en quantùm rapiunt præcordia magnæ.
At longus ſpectetur deinde Propaginis ordo,
Tuque decem undecies Reges, de ſtirpe creatos
Una, Atavos numerare vales, Rex magne, potentes,
Vincula quos nunquam preſſerunt extera: Scotis
Solis indomitis invidit Roma triumphans.
Reginæ hæc placido celſæ præcordia ſenſu
Perfundunt: teneroque rotat ſub pectore Virgo
Quot quantique manent pariles utrinque triumphi,
Cum tecum innumeras veniet ſpectanda per Urbes:
Quot turbæ ingenuo geminabunt pectore plauſûs:
Quantaque ſepoſitis effundent gaudia curis.
Jamque premit magnæ formido labantia ſponſæ
Pectora; ne hîc curis ſe turbent ſomnia vanis
Irrita: neve animum ſpes credula ludat amantem.
Nympha decus patriæ, tantùm ne cede timori;
Non iſta effingunt placidæ ſimulachra quietis:
Vera mage hæc Tripode. En celſis Genialia tectis
Numina ſuccedunt, nobiſque hîc Ordine, plauſu,
Munere, voce, animo, votis concordia, clamant;
Magnifici Reges, O terque quaterque beati!
Fœdere felices ſtabili conjungite dextras,
Fœdere manſuro fulgent dum ſidera Cœlo:
Jungite IO dextras vos O clariſſima mundi
Lumina, tot ſceleris fulgore fugantia nimbos,
Et veſtris hæc ipſa malis dabit Aurea cunctis
Lux finem: Æterno junget pax omnia nexu.
At tu blanda Quies, placidiſſima Noctis amica,
Exoptata veni: Nimis expectatio clarûm
Anxia ſollicitat jam jam præcordia Regum:
Tandem igitur Thalamo dulci, votiſque pudicis
Succedant: Pharetrate puer tu talia mandas.

Tuque adeo tot victa malis, tam funere ſævo
Merſa prius, mæſtos, Generoſa Britannia, amictûs
Ponito: ſuaveolens effundat veſtis Odores:
Nam tibi fauſtus IO Rerum jam naſcitur Ordo:

Jungere

Jungere tu Reges, manſura in fœdera, dextras
Spectâſti, ſcelerumque malos expendere pœnas.
Nunc tibi parta quies, nunc meta extrema malorum;
Hæc ſacra optatam componunt Fœdera pacem,
Quam non ulla dies, non impia conteret ætas.
Dum ſtabilis remanebit aquis circundata tellus;
Pinniger æquoreas piſcis dum poſſidet undas;
Aut volucris celeres expandit in aëre pennas,
Condit & hirſutis umbroſa cubilia dumis;
Hæc firma æratis durabunt fœdera nodis:
Grata dabunt ſeris & plurima gaudia natis.
O quantos (*Divûm* genus hoc, proleſque Tonantis)
Regia producent iſthæc Connubia natos!
Quos Pater ipſe ſuo Superûm ſignabit honore:
Imperium hi ſpargent ſuper & Garamantas & Indos,
Et mundi egregiis ſpatioſi laudibus oras
Implebunt: Quos & tandem, poſt fata, perenni
Aurea magnificè tranſmittet gloria famæ,
Lucida ſignifero dum fulgent ſidera Cœlo.

VOTUM

Pro Incolumitate *Regum* & *Regni*.

O Potens rerum validiſque pollens
Viribus, mundi moderator; hos qui
Tollis, aſt illos Solio revellis
Turbinis inſtar:
Sceptra qui Regum decorata Vero
Et pio firmas: ſtabilita, fauſtis
Qui tuæ ſignis bonitatis ornas,
Undique munis.
Nunc, IO, quo te ſuper aſtra cantu,
Orbe diviſi penitus Britanni,

Aureo

Aureo tollant, facilem, Benignum,
Omnibus æquum?
CAROLUM regno reducem dediſti,
Rege quo regnant pietas, fideſque;
Paxque præclaris, placidè refulgens,
Grata Britannis:
Non in horrendis furibundus armis
Hîc fremit Mavors; neque jam coruſcas
Vibrat, inſanus rabie, ſagittas
Sanguine gaudens.
Jamque prædatur violentus Urbes
Militis nuſquam furialis æſtus;
Impetûs nullus miſeri pererrat
Rura Coloni.
O *D*eus noſtræ Columen ſalutis,
Prata nos Vitam per amœna pacis
*D*egimus læti, meliora nacti
Otia vitæ:
Redde nos horum, Bonitatis Auctor
Summe durantis, memores in ævum,
Ut tibi ſacras reſonent Britannûm
Nablia laudes.
Hinc neſas, peſtes, furiæque ſævæ,
Parturit quarum Phlegethontis unda
Agmen immenſum, incipiant neſanda
Vertere Terga.
Tuque fulgentem pietate Regem
CAROLUM, magnum Patriæ Camillum,
Cum novâ ſerves, Pater alme rerum,
Conjuge fauſtum.
Hos tuæ divis variè potentis
*D*exteræ donis bonitas Coronet,
Ut ferax multâ faciat ſenectus
Prole beatos:
Ut fides, Rectum, pietaſque ſimplex,
Paxque, per tempus vigeant Britannis
Omne, nos rurſus faciantque ſecla
Aurea fauſtos.

FINIS.